Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1701
Quelle:
Copyright:

Wenceslaus — eandem exequi Sacerdotibus regulam, præcipiens voce præconica ut unusquisque Sacerdos — in suo ordine deserviret fideliter Deo suo. &c. Ceterum in Impressis non reperi. Usserat *Hussum Alexandri* V. et *Sbinconis* Archiep. Prohibitio, ne in minoribus Sacellis plebem pro concione alloqueretur.

XX. *fol.* 193. *Magistri Jacobelli de Mysa.* Scriptum in eandem cum praecedente sententiam, quod incipit: *Ambrosius libro 4. super lucam cap. penult. luce 5. Laxate retia, Est inquit et aliud Apostolicum piscandi genus* &c. A nemine, ut puto, indicatum.

XXI. *fol.* 194. p. 2. *Job. Huss*, ut edit. *cit.* T. II. p. 39. Sermo Synodalis in illud: *Diliges Dominum Deum tuum* &c. qui incipit: *In omnibus me defectuosum reperiens* &c. Indicatus jam alibi.

XXII. *fol.* 202. *Sermo M. Petri de Stupna pie memorie.* Sermo itidem Synodalis, qui incipit: *In hac sacra venerabilique synodo evangelizaturus Turbatus est in me spiritus, in me turbatum est cor meum. Ps. CXLII. Terret enim presencia magnatorum ac sapientum pericia* &c. Exponit vero illud Apostoli ad Ephes. 4. *Renovamini spiritu mentis vestrae.* Sermo prolixus et bonae frugis Autoris, de quo, ut jam N. VIII. dixi, nihil traditum reperi.

XXIII. *fol.* 210. p. 2. *Sequitur Sermo de contemptu mundi beati Augustini.* Initium: *Audite fratres karissimi salutiferam patris mei* (vestri) *doctrinam* &c. Spurius. Ut alibi.

XXIV. *fol.* 212. p. 2. Sermo de Pudicitia, cujus hic initium: *Tunc sacerdotaliter viuimus si illicitos motus sub disciplina cohercemus* &c. Varia continet ex *Augustini Regula ad Servos Dei* T. I. edit. *Maur. col.* 789. et ex Epistola *ad Sanctimoniales* T. II. *col.* 781.

XXV. *fol.* 213. p. 2. *Vtrum Moyses legislator fuit sacerdos.* Directa est Dissertatio haec, ut circa finem liquet, ad *reuerendissimum patrem* quendam, fortassis Archiepiscopum *Pragen.* remque eo deducit, ut concludat: *Moysen fuisse Sacerdotem deuota sui oblacione, sed non institucione, Samuelem Sacerdotem vicis vicarie et deuota sui oblacione, sed Aaronem constitucione et deuota sui et hostiarum oblacione.*

XXVI. *fol.* 216. absque inscriptione *Job. Hussi* Replica contra Praedicatorem *Plznensem*, quae incipit: *Quidam predicator in Plzna, ut scriptum est mihi, predicat publice* &c. et habetur edit. saepe *cit.* T. I. p. 179. ubi in annum 1412. confertur.

XXVII. *fol.* 221. p. 2. rursus ἀνεπιγράφως Tractatus Ejusdem *de tribus Dubiis factis in Holomutz* seu *Olomucii*, cujus initium: *Quia dubitantibus sanum est consulere* &c. Extat edit. *cit.* p. 208. Adi, si lubet, etiam *Cod.* nostrum CCCCIV.